

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Google Livres

THEOGNI

DIS MEGARENSIS SENTENTIAE Elegiacæ, cum interpretatione & Scholijs Eliæ

Montij Vineti. *Punjeing.*

ACCESSERVNT ET HORVM

Poetarum opera Sententiosæ

Phocylidis	Rhiani
Pythagoræ	Eratosthenis
Solonis	Panyasidis
Tyrtæi	Lini
Naumachij	Menecratis
Callimachi	Posidippi
Mimnermi	Metrodori
Eueni	Simonidis.

Senariorum libellus.

Omnia in usum Scholarum collecta, & ad verbum conuersa per IACO BVM HERTELIVM Curientem.

Adiecta quoq; est omnium uersio Latino carmine à diuersis expressa.

Ὀὐ πρὸς δὲ ἀπαντὸς ἐστὶν ἀρτίσσι καλῶς.

B A S I L E A E.

~~Handwritten scribble~~
~~Handwritten scribble~~

Bayrische
Staatsbibliothek
München

AMPLISSIMIS, PIENTI-
 TATE, PRUDENTIA, AC
 eruditione præstantissimis uiris, D. Cos.
 & Senatoribus Republicæ SAL-
 VELDENSIS, Dominis ac pa-
 tronis suis obseruandis.

S. P. D.



Vandoquidem, uiri am-
 plissimi, nihil animis ho-
 minum magis inhæret,
 quàm id, cui à teneris con-
 fuescunt: idque quod te-
 nerum est, ut ait Seneca,
 proximis applicatur: uni-
 uersæ hominum societatis permagni inter-
 est, ut ab ineuntibus statim annis mortales
 optimis, quæ per totam uitam usui futura
 sint, affuescere discant. Quia uerò æta-
 tis imbecillitate iuuentus ad malum quàm
 ad bonum procliuior, minus considerat
 profutura ne an obfutura sint, quæ tra-
 stat: opus est, ut per adultiores, quibus
 cura eius qualicumque modo incumbit, à
 turpibus ad honesta, à uitijs ad uirtutum a-
 morem

EPISTOLA

morem deducatur. Id autem nulla commo-
 diore uia, quàm per liberalem institutione,
 fieri potest. tanta enim eius uis est in utrâq;
 partem, ut nulla tam bona possit esse natu-
 ra, quin illius quasi excolendæ cura inter-
 missa, uitiosa reddatur: nulla item tam ma-
 la sit, quæ non ad frugem liberali ac fide-
 li institutione redigatur. Proinde cum adulta
 hominum ætas ad omnia minus docilis tra-
 ctabilisq; sit, quàm rudes illi iuuentutis an-
 ni, qui instar ceræ quamlibet impressionem
 facile admittunt: tum generosi mores, ut il-
 le ait, imbuendi sunt, cum tener est animus:
 tum optimis assuescendum, eaq; discenda,
 quæ nec grandinem, nec uim, nec Iouem i-
 psum, ut Plato inquit, extimescant: quæ quo-
 que cum naufrago salua enatare, nec à latro-
 nibus eripi queant, cum ad quæuis cereum
 adhuc est ingenium. Nam postquam annis
 iam quasi dirigit animus, partim egrè, quo-
 rum praua consuetudine fuimus infecti, de-
 discimus: partim, quæ nescimus, non nisi ma-
 xima nobis inculcari difficultate possunt.
 Quò elegatissima metaphora hac respexis-
 se uidetur Ouidius:

*Que præbet latas arbor spaciantibus umbras,
 Quo posita est primum tempore, uirga fuit.*

Tunc

DEDICATORIA.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,

Nunc stat in immensum uiribus aucta suis.

Hæc perita rerum antiquitas considerans, quæ nihil non egit, ut Respublicæ optimè constitutæ in suo flore permanerent, iuuentutem, ceu seminarium totius hominum conuersationis, optimis quibusuis non tantum artibus & disciplinis, quàm morum uitæque præceptis imbuendam curauit. Non ignara, & sine literis rudes inertesque, & cum literis parum utiles fore homines, nisi honestati uitæ quàm primùm assuefierent. Plus enim deficere quàm proficere cum, qui doctrina proficit, & moribus deficit, præter Aristotelem, quotidiana docet experientia. Non autem quæuis temerè, & citra delectum, teneris puerorum animis obtrudi passa est: sed eos autores, qui & pietatem, & præcepta de morum uirtutibus continerent, proposuit. In quorum autorum numero, Poetæ, qui uel mira ingenij industria clarorum uirorum egregia facta in exemplum posteritati descripta reliquissent: uel quàm breuissimis, maximeque illustribus sententijs doctrinam morum essent complexi, suo quodam iure facile primas obtinuerunt: unde & nomen

EPISTOLA

illorum in maximo cultu, maximaq; uenera-
 tione apud optimos quosuis extitisse nō i-
 gnoramus. Plato, philosophiæ quidam sol,
 huiusmodi Poetas non dubitat nunc deo-
 rum filios, nunc prophetas appellare. Et
 tantū abest ut è Repub. sua eiecere (quod
 ijs fecisse legitur, qui diuina poetice arte
 ad lasciuiam, turpesque amores abusi e-
 rant) ut & ipse testimonijs eorum usus, &
 alijs exemplo suo præclarissima ipsorum
 monumenta euoluendi autor fuerit.
 Sicut eius rei locuples testis est honestis-
 sima creberrimaque apud ipsum Solonis,
 Tyrtaei, Homeri, Hesiodi, & aliorum me-
 lioris notæ mentio. Socratem, qui ipsius
 Apollinis oraculo sapiens pronunciatus
 est, Euripide Tragico familiarissimè usum
 esse, nemo nescit. *μωσῶν θεράποντες καὶ αὐτῶν
 ἀφοτῆρες* ab Hesiodo & Pindaro nuncupan-
 tur. Strabo autem lib. 1. de Situ orbis scri-
 ptum reliquit, ueteres *τὴν πρώτην ποιητικὴν*,
 ut omnium doctrinarum antiquissimam,
 philosophiam quandam perhibuisse. Quip-
 pe quæ à teneris nos unguiculis ad uiuendi
 rationes perducatur, mores atque affectus e-
 doceat, quæq; gerenda, declinanda ue sint,
 quadam cantus suauitate præcipiat. Et
quod

D E D I C A T O R I A.

quò magis suam erga huiusmodi *ιβηκὸς ποικιλίας* gratitudinem testatam redderent, iuvenesq; ad bonarum rerum studia, morumq; integritatem excitarent: statuis ac imaginibus eos honestari, poemata ipsorum in publicis Deorum celebritatibus, alijsq; conuentibus recitari, optimasque sententias tēplorum foribus, tanquam Deo dignas, imò ab ipsis Numinibus usurpatis, affigi, nec nō aureis preciosisq; materijs insculptas ad omnem posteritatem conseruari curauerūt. Quemadmodum ex Platone, Xenophonte, Pausania, Plutarcho, Athenæo, alijsque uetustissimis scriptoribus & iam dicta, & alia plura de Poetarum excellentia & utilitate cuius obuia sunt: nec patitur epistolæ angustia huc omnia referre. Etsi uerò Christianæ professionis homines, sinceræ Religionis Pietatisq; studium non ab huiusmodi autoribus, sed ex sacrosanctæ Scripturæ fontibus petere debēt, & possunt, ut quæ sola salutem & æternam beatitudinem per *ΙΕΣΟΥ ΧΡΙΣΤΙ* ueri Dei, ueriq; hominis meritum credentibus paratam esse monstret, præceptaque ad Christianam uitam utilia copiosissimè præscribat: tamen Poetarum quoque (qualium scripta iuuentuti proponimus)

EPISTOLA

nimus) lectionem & usurpatam, & in non contemnendo precio habitam, habendamque esse, grauisissima sanctissimorum in Ecclesia Dei uirorum exempla & auctoritates comprobant: quarum paucissimas, ob eos qui parum dextrè de Poetis sentiunt, in medium proferre placuit. D. Paulum, electum illud Dei omnipotentis organum, Poetarum libros euoluisse, & ut Clemens ait, ad ædificationem curamque aliorum, testimonijs eorum uti non erubuisse, Sacrarum literarum ueritas testatur. Sic Act. 17. ubi Deum esse probat, Aratum uetustissimum poetam citat. 1. Cor. 15. ex Menandro Comico malorum consortia fugienda monet, quod prauis colloquijs boni mores corrumpantur. Cretensum mores Tit. 1. ex Epimenide uate Cretenfi graphicè depingens ait: *ἠπῆρες δὲ τῶν ἁγίων, κατὰ θυρίδα, γὰρ ἔρεσ ἀργαί.* Gregorius Nazanzenus, ob excellentiam Theologus dictus, scriptis poetarum mirè delectatus est, & sacrorum carminum uolumen posteritati reliquit: quod non solum priscis temporibus propositum est pueris, ut Socrates, Sotomenus, Orosius & Eutropius scribunt, uerùm etiam hodie à doctissimis uiris in delicijs habetur. Quid de Iohanne Chrystostomo

DEDICATORIA.

mo Patriarcha Constâtinopolitano sub Arcadio & Honorio Impp. anno Christi 401. dicam, qui Aristophanis Comœdijs etiam noctu pro puluino usus est? Quid de Eustathio Thessalonicense, cuius etiam hodie eruditissimi in Homerum, ingeniorum fontem, commentarij extant? Neque mihi hoc loco temperare queo, quo minus etiam D. Basilij Cæsariensis, cui uirtutum splendor Magni cognomen peperit, uerba adscribã, de eorum Poetarum lectione, qui bonorũ hominum dicta facta ue narrassent: quales præ cæteris fuerunt, Homerus, Hesiodus, Theognis, Phocylides, Pythagoras, Solon, Tyrtaeus, & alij. Sic ergo in Admonitione ad adolescentes, quo pacto ex gentilium scriptis proficere queant, ait: *ἐπὶ τούτοις, παρασκευασθὲν ἢ ποιηταῖς, ἢ λογοποιῶσι, ἢ ῥήτορι, καὶ πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ὁμιλιητέον, ὅθεν αὐτὴ μέλλει πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ἀφέλεια τις ἐσεῖσθαι. ἢ μετ' ὀλίγον· εἴ μὲν οὖν ἐστὶ τις οἰκνότης πρὸς ἀλλήλους τοῖς λόγοις, πρῶτον αὐτῶν αὐτῶν ἢ γνώσις γένοιτο, εἴ ἢ μὴ, ἀλλὰ τότε παράκληλα θούτας καταμαθεῖν τὸ διάφορον οὐ μὲν πρὸν εἰς βεβαίωσιν τῆ βελτίονος.* Hoc est: Poetis & oratorib. omnib. hominibus utendũ, unde futura sit aliqua utilitas, quæ ad animæ facilitationẽ. Et paulo post: *Et si nostrorũ*

EPISTOLA

sermonum atq; gentilium ulla est conuenientia, nobis illorum ualde conferet notitia: sin minus, eos saltem simul conferendo differentiam discere licebit, cum ad melioris optionem atq; delectum non parum cōparatio ualeat, & inferiora sæpe collata sint potioribus ornamento. Nec ab his dissentit Philo sapientissimus, dum libro de Agricultura, de puerorum studijs in hūc modum differit: φυτεύσω ἢ ταῖς μὲν ἐν ἡλικίᾳ παιδικῇ ψυχῆς μοχθύματα, ὧν ὁ καρπὸς αὐτὸς τιθιμύσεται. ἐστὶ ἢ ταῦτα, ἢ τῷ γράφειν καὶ ἀναγιγνώσκειν ἄσσοχος ἐπιτέλεισσις, ἢ τῶν παρὰ σοφοῖς ποιητῶν ἀκριβῆς ὄψονα, γεωμετρία, καὶ ἢ πρὸς τὰς ῥητορικὰς λόγους μελέτη, καὶ ἢ σὺμπασα τῆς ἐγκυκλίου παιδείας μουσική. Quæ uerba Latinis auribus sic sonant: Inseram autem primùm in puerilis ætatis animas, surculos, quorum fructus ipsas enutriat. Sunt autem hi, scribendi legendique certa industria, eorum quæ apud sapientes poetas habentur diligens scrutatio, geometria, oratoriæ facultatis meditatio, & uniuersa liberalis musica. Atque hæc quidem de Poetarum autoritate & lectione paucis attigisse, non planè ἐκ τῶν ἐλεῶν, sufficiat. Haud enim parè humeris susciperem prouinciã, si ex singulis Christianis

D E D I C A T O R I A.

stianis scriptoribus (ut de gentiliū myriadibus taceam) poetarum & laudes colligere, & osorum calumnijs occurrere conarer. Ego itaque tantorum uirorum iudicio & consilio incitatus, iuuentuti, cuius informandæ mihi quoque cura incumbit, hæc in parte, quod ad optimorum poetarū studium attinet, labore quidem duro, animo uerò non ægro consulere studeo, cum hanc meam esse Spartam non ignorem. Mirificè enim peritæ rerum antiquitates, quæ ut Plato uult, *κρείττων ἅμα καὶ ἐγγυτέρω διαρ' ἔχουσιν*, exemplum sequi, & quantum paret, alijs ad idem faciendum autor esse placet. Hac de causa, cum labores nostros, quos in Comitorum L. scriptis ab interitu uindicandis exhausimus, bonarum literarum studiosis non ingratos animaduertērem: facile, nunquam satis laudati uiri D. Ioannis Oporini, Compatri ac amici mei obseruandiss. cōsilio acquieui, quo me, ut horū quoq; poetarum, quos hic damus, scripta collecta iuuentutis studijs communicarem, incitauit. Theognide ergo *γνωμικῶ τῶ*, cum uersione & doctissimis **ELIAE VINETI** Annotationibus, ex arbitrio D. Typographi, præmisso, reliquorum autorum omnium

nium

E P I S T O L A

nium scripta ex diuersis hinc inde autoribus, congestimus, congesta fideliter interpretati sumus, & ad puerorum captum quàm proximè accommodauimus. Nec iuuenilibus ingenijs inutilem hanc nostram operam fore speramus. Castissima enim saluberrimaque de moribus præcepta proponit, quæ usum non pœnitendum in omnes uitæ huius partes, si rectè percipiuntur, sint allatura. Præterea Græcæ linguæ (quæ comptissima est in his autoribus) cum Latina collatio, non parum emolumenti ad uberiores eruditionis thesaurum comparandū adferet: ijs præsertim, qui aliàs uiua magistri uoce destituti, ipsi sibi præceptores esse in Græca literatura coguntur: ut plures cōmoditates, quas præter iuniores etiam adulti hinc haurire possunt, sciens præteream. Non parum tamen doctissima Stobæi interpretatio, unde non paucas sententias transcripsimus, nos iuuat. Versionem Latino carmine, sui cuique interpretis nomine præfixo, ne alienis nos ornare plumis uideremur, subiecimus, ut Græcæ elegantia cum latina melius perspiceretur conuenientia, ab ijs qui iam absque cortice in Græco studio natare queunt. Nondum carmine reddica,

pro

DEDICATORIA.

pro nostra tenuitate pedibus astringimus, ita ut quàm proximè Græca sententia exprimeretur. Alicubi lectionis uarietas margini est aspersa. His omnibus eiusdem, si non carminis, tamen argumenti libellus Senariorum insertus est, ut quàm absolutissimam de moribus, totaque uita laudabiliter instituenda doctrinam, optimorum hoc Poetarum Opus teneris puerorum animis proponeret.

Hunc autem nostrum laborem, Viri amplissimi uobis inscribere, librumque Scholæ uestræ consecrare, maximè necessarium duxi, ut sub amplissimo nominis uestris patrocinio (quod quàm exiguum ex ga bonarum artium cultores semper extiterit, manifestius est quàm ut nostro præconio indigeat) tutus à maleuolorum, quorum plena sunt omnia, morsibus in communiem iuuentutis usum prodiret: tum in primis, ut grati tandem animi indicium, licet exiguum, exhiberem pro innumeris Reipublicæ uestræ in me beneficijs. Cum enim puerilium studiorum partem non postremam Scholæ uestræ celeberrimè constitutæ, sub optimis præceptoibus M. CHRISTOPHORO Hoffmanno,
&c


EPISTOLA

& IOANNE Tumlero (D. CASPARE Aquila primariam Ecclesiæ curam gerente) feram acceptam: gratitudinis officium uidebatur requirere, tam pro his, quàm pro alijs ciuium uestrorum in me meritis, charitaceo hoc munusculo, cum aliud non esset, testatum omnibus reddere, memoriam humanitatis uestræ nondum apud me sensuisse: si fortè alij meo exemplo excitati, meliora, nominiq̃ uestro amplissimo magis cõuenientia darent, & tandem *αχαρειας* turpissimum crimen à Christiano coetu exulare inciperet. Etsi uerò per se satis exiguum est munusculum hoc, nec dignum quod eam P. V. officijs conferatur: tamen, si pro uestro favore erga liberalia studia & iuuentutis honestam institutionem, offerentis animum respexeritis, non minus gratum cõfido futurum, quàm si uel Colophonium aurum à me P. V. oblatum esset. Quæ spe ne me fallat, per eam, qua omnes *φιλανθρωπίας* prosequi soletis beneuolentiam, etiã atque etiã oro. Deus opt. maximus, æternus Pater Domini nostri IESU CHRISTI, P. V. consilia & actiones ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ, Scholæq̃; communem salutem dirigat, uosq̃ omnes in sui agnitione
 ne

DEDICATORIA.

ne uera conseruet, Amen. Basileæ, ex Ludo
literario ad D. Petrum. 8. Calend. Febr. Quo
die, ut quidam uolunt, ante annos 1527.
Paulus Tarsensis ad pœnitentiam reuoca-
tus diuinitùs, hostili in Christianos animo
deposito, CHRISTI dogmata amplexus
est: quemadmodum Lucas Act.
9. scripsit.

P. V.
deditissimus,
Iacobus Hertelius
Curiensis.



ELIAS VINETUS

Santo Lectori.



V M ocij plurimum anno superiore apud Franciscū Sangelasium Engulismensis Ecclesiæ Decanū, uirum cum generis splendore, tum ingenij dexteritate apprimè nobilem, nactus fuissē: id totum, quantum per aduersam valetudinem licuit, in iucundissima Græcorum poetarum lectione à me cōtritum est. qua quidem in re consiliū eorum lubens secutus sum, qui antiquos scriptores eo legendos ordine censent, quo & uixerunt, & scripserunt: quòd recentiores à uetustioribus semper habeāt quidpiā, quòd non facile intelligas, nisi prius illos diligenter legeris. Perlectis igitur, quorū fuit copia, uetustissimis quibusque, cuiusmodi sunt Homerus & Hesiodus, Theognidem tandem in manus sumpsi: cuius sententias licet graues esse nō dubitarem, eo tamen intellectu mihi faciles fore sperabam, quòd credere nihil esse illic quòd posterioribus, quos aliquando legeram, non fuisset luculentius tractatum. Verūm

b

uixdum

ELIAE VINETI

nixdum è portu solueram. cum tot subitò emergunt scopuli, tot statim obortæ nubes, cœlumq; diemq; eripiunt oculis, ut à proposito faciliè his deterritus fuisset, nisi cupido huius conficiendi æquoris me pfa nè obstinata iam inde cepisset, ex quo primum à præceptoribus meis, Aristotelis aliorumq; ueterum scripta prælegi mihi cœpta fuerant, quæ huius poetæ sententijs uoluti suauissimis flosculis inspersa essent.

Cum igitur pergere obfirmato proflus animo certum esset, quæ ad tam difficilem periculosamq; rem conficiendam conducere uisa sunt, ea diligèter omnia adhibui, cuiusmodi sunt cum uariorum codicum, locorumq; ex eodem autore ab alijs scriptoribus citatorum diligens collatio: tum syncerum & acre amicorum meorum, uirorum doctorum, unà cum meo, iudiciũ: inter quos Petrus Panætius, & Iacobus Gupylus, faciliè principes. qua quidem diligentia abscessis, abiectis, transpositis multis, effectum tandem est, ut instituto satisfecerim meo, perlegerim bonum poetã, eorumq; quæ in eo corrupta erant, bonam magnamq; partè obiter castigauerim. Cæterum cum in eo totus essem, Ioanni Lo-
doico

EPISTOLA.

doico Thetano, typographo diligentissimo, rem patefeci, cū in eius bibliopoliū, quærendi ex eo exemplaris gratia aliquādo me cōtulisset: quam ubi intellexisset, rogauit uehementer, ut si quid haberem in eum autorem, quem esset breui excusurus, communicarem: me sibi, studiosisq; omnibus, gratum facturum. Id autem perfacile impetrauit ille, quando ineunte hac æstate huc ueni, cādide lector: cui in tuam gratiā publicandū tradidi, quicquid fuit nostri in Theognidem laboris. quæ autorem utinam tam totum restituere omnino potuissem, quàm cupiebam. Is enim tam deprauatus fuit, tam lacer, tam mancus, ut nulla diligentia, nullo labore, nullis deniq; quantislibet uigilijs id præstare potuerim. quæ res in causa est, ut in Latinum sermonem à me conuersum non habueris. Quod reliquum igitur hîc desiderabitur, id ab alio interim dum fœlicius expectabis, nostro hoc labore, quantuluscunq; est fruaris, eumq; boni consulas uelim. Vale, Lutetiæ. Calendas

Sextil. 1543.

6 2

THEO-

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

Ciuitatem, & populos, & patrem honestans;
 Multis per pectus & scutum rotundum uulneribus,
 Et per thoracem ab anteriore parte sauciatus.
 Hunc uerò lugent pariter iuuenes, senesq; (tur.
 Et graui desiderio tota ciuitas funus ipsius prosequi
 Huius sepulchrū, et liberi inter homines præclari sunt,
 Itemq; nepotes, & omne posterorum genus.
 Nunquam eius bona gloria interit, neq; nomen ipsius:
 Sed quamuis sub terra sit, manet immortalis.
 Quem se fortiter gerentem, manentēq; & pugnātem,
 Pro patria & liberis uehemens Mars peremerit.
 Quod si effugerit sortē mortis longū inducētis soporē,
 Et uictoria potitus splendidā gloriā pugne auferat,
 Ipsum ex æquo omnes iuuenesq; senesq; colunt,
 Multisq; iucundis affectus ad orcum abit.
 Senescens autem inter ciues præcellit, neq; quis illum
 Ledere, nec irreuerenter nec iniuste cupit.
 Omnesq; in sedibus iuuenes simul & æquales
 Loco cedunt ei, quiq; maiores nati sunt.
 Huius igitur uirtutis ad summū peruenire, nunc aliq;
 Nitatur animo, non remittens bellum.
 Eiusdem: aliàs Callini.
 Quamdiu torpetis? quando strenuā habebitis animam
 O iuuenes: an non ueremini uicinos,
 Ob tantam ignauiam? In pace autem uobis uidemini
 Sedere: sed bellum totam regionem infestat.
 Quin scutum aliquis arte in prælio hosti obtendat:

ἄγου τε παῖ λαὸς καὶ πατέρ' ἀνελείσας·
 πολλὰ δὲ διὰ σθένοιο καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσους,
 καὶ διὰ θύρῃκος πρόδρον ἐλκλαμῶνος.
 τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι, ἠδὲ γρόντες,
 ἀργαλέω ἢ πόθῳ πᾶσα κέκλυε πόλις·
 καὶ τήμβος, καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίσῃμοι,
 καὶ παῖδων παῖδες, καὶ γένος ἐξοπίσω.
 ἔδλε ποτε κλέος ἰδὸλον ἀπόκλυται, ἔδ' ὄνομ' αὐτῶ,
 ἄλλ' ὑπὲ γῆς πόρ' ἐὼν γίγνεται ἀβανάτος,
 ὅρ' τιν' ἀριστόντα, μύοντά τε, μαρνάμονόν τε
 γῆρ' ἄρει καὶ παῖδων θῆρος Ἀρης ὀλέση.
 εἰ ἢ φύγοι μὲν κῆρα ταυηλεγέος θανάταιο,
 ἠλῆσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὐχος ἔλοι.
 πάντες μὲν τιμῶσιμ ὁμῶς νέοι, ἠδὲ παλαιοί,
 πῶλλὰ ἢ τὸρπνὰ παθῶν ὄρχεται εἰς αἰδίλω·
 γυράσων δ' ἀσοῖσι μεταπέπει, ἔδλε τις αὐτὸν
 βλάπῃει, ὅτ' αἰδῶς, ὅτε δίκης ἐθέλει·
 πάντες δ' ἐν θάκοισιμ ὁμῶς νέοι, οἷ γε κατ' αὐτὸν
 εἶνυσ' ἐκ χώρης, οἷ τε παλαιότ' ὄφοι.
 πάντης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετ' εἰς ἄκρον ἠέδαι
 περάδω, θυμὸν μὴ μεθίεις πολέμω.
 τῶ αὐτῶ, ἢ Καλλίνω.

μέχρις τσον κατάνειθε, κότε ἄλκμιμον ἔξετε θυμὸν,
 ὦ νέοι; ἔδ' αἰδέϊδ' ἀμφιπρόριπύονας
 ὅδε κλλω μεθιόντες, ἐν εἰρήνῃ ἢ δουεῖτε
 ἠέδαι, αἰταρ' πόλεμος γαῖαν ἀπασαν ἔχει.
 * ἐν νύ τις ἀσπίδα θέδω ἐναντιβίως πολεμίζωμ.

* Hūc he-
 xametrū
 D. Came-
 rarius de
 suo sup-
 plevit.

καὶ

Et aliquis moriens ultimò iaculum emittat.
 Honori enim est & ornamento uiro pugnare
 Pro patria & liberis & tenera uxore
 Aduersus hostes. Mors autem adcrit, quandocunq;
 Parca destinauerint. Sed age quispiam rectà pergat
 Extenso in altum gladio, & sub scuto forte pectus
 Foueat, cum primùm incipit committi pugna.
 Non enim mortem effugere fatale est
 Virū, neq; si à maioribus immortalib. genus ducat.
 Sæpe quis elapsus è pugna, sonituq; telorum
 Euadit, sed ipsum domi fatalis mors apprehendit.
 Atq; hic sanè nec amicus est populo, nec gratus:
 Illū uerò magnus et paruus deslēt si qd passus fuerit.
 Vniuersus enim populus uirum fortem desiderat
 Defunctum, uiuentem uerò instar semidei colit:
 Nam coràm intuentur illum uelut turrim:
 Quippe solus multorum æquat facinora.

Eiusdem.

Veruntamen Herculis genus inuictum estis:
 Confidite, nondum Iouis facies auersa est à nobis:
 Nec hominum turbam formidetis, aut metuatis,
 Quin rectà quisq; hostibus scutum obuertat
 Inuisam amissurus animam, mortisq; nigrum,
 Sed solis splendori gratum subiturus fatum.
 Nostis enim quàm grauia sint Martis luctuosi opera;
 Nostis etiam impetum permolesti belli.
 Et quandoq; fugistis ipsi, quandoq; alios fugastis.

καὶ τις ἀποθνῄσκει ὕστατ' ἐκοντισάτω.
 τιμῶσ' τε γὰρ ἔστι καὶ ἀγλαὸν ἀνδρῶν μάχιδαι
 γῆς πέρι, καὶ παίδων, κρηίδις τ' ἀλόχῃ
 δυσμενέσιμ' θανάτος δέ ποτ' ἔσεται, ὅποτε κρη δὴ
 μοῖρα ἐπικλώσῃ, ἀλλά τις ἰθὺς ἴτω,
 ἔγχος ἀναχόμενος, καὶ ὑπ' ἀσπίδος ἄλκιμον ἦτορ
 ἔλσας τὸ πρῶτον μινυμοῦς πολέμῃ.
 ὃ γὰρ πῶς θανάτῳ γε φυγῆν εἰμάρμενον ἔστιν
 αὐτῷ δρ. ὃ δ' εἰ προγόνων ἢ γένος ἀθανάτων.
 πολλάκι Ληϊοτῦτα φυγῶν καὶ δῦπον ἀπόντων
 ὄρχεται, σὺ δ' οἴω μοῖρα νίχην θανάτου.
 ἀλλ' ὁ μὲν ὑπ' ἐμπας δειμῶ φίλος, ὃ δ' ἰσοβεινός·
 τὸν δ' ὀλίγος στυγέει, καὶ μέγας, ἦρ τι πάθει.
 λαῶ γ' ἔξυμπαντι πάθος κρητόροφονος ἀνδρῶς
 θνήσκοντος. ζῶν δ' ἄξιος ἡμιθῆω.
 ὡσὺρ γὰρ μιν πύργου σὺν ὀφθαλμοῖσιν ὀρῶσι,
 ὄρδει γ' πολλῶν ἄξια μένος ἐῶν.
 Τῆ αὐτῆ.

ἀλλ' Ἡρακλῆος γ' ἀνίκητον γένος ἔστ',
 βαρσῆτ', ὅπως ἴδ' ἀνιχούα λοξὸν ἔχει.
 μηδ' ἀνδρῶν πηλυῶν δειμαίνετε, μηδ' φοβᾶσθε,
 ἰθὺς δ' εἰς προμάχῃς ἀσπίδι ἀνὴρ ἔχεται,
 ἔχθρᾶν καὶ ψυχλὴν θέμονος, θανάτῳ δ' μελαίνας
 αὐγαῖσιν ἡῆρας κελίοιο φίλας.
 ἴστε γ' ὡς ἀρεῶς πολυδακρύτῃ ὄργ' ἀβροδύλα,
 ἰὺ δ' ὄργλῶν ἐδάκντ' ἀργαλίῃ πολέμῃ.
 καὶ μετὰ προγόνων τε δειπόντων τ' ἰγνέωσι,
 ὡ γίνο

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

S E N T E N T I A E.

338

Ullum omnes pariter deflent iuuenesq; senesq;

Et summa exequiis urbs pietate facit.

Multus honos tumulo, natisq; rependitur eius,

Et soboli illorum, quæ genus inde trahet.

Non decus illius, ælebris nec fama peribit:

Immortalis enim est, sit licet in tumulo,

Quisquis in arma ruens, nec sæuo à Marte recedens:

Pro patria & natis fortiter occiderit:

Si uerò incolumis mortem uitarit acerbam,

Rettulertitq; sua parta trophæa manu,

Ullum omnes pariter decorant iuuenesq; senesq;

Et bona percipiens plurima letus obit:

Affectus senio toti gratissimus urbi est,

Prorsus & hunc ipsum ledere quisq; cauet.

Turba senum iuuenumq; loci concedit honorem,

Nullus & æqualis se æquiparare uelit.

Ergo aliquis tantæ uirtutis tangere culmen

Conetur, toto pectore bella petens.

Eiusdem, uel Callini.

O' iuuenes, quid uult sibi tanta ignauia? ubi nam

Sunt animi? num de finitimis rubor est.

Segnitiam ob uestram? secura pace potiri

Creditis: at bello patria tota tremit.

Quilibet audacter mauortia surgat ad arma

Atq; aliquis moriens ultima tela uibret.

Pro patria pulchrum est, natisq; & coniuge chara

Pugnare, & ualida bella ciere manu.

Mors aderit, cum fata uolent. iam quis mihi recta

Prodeat in pugnam, cum citò ccepta fuit,

Tollens

Tollens terribili gladium uirtute, tegensq;
 Fortia prægrandi pectora sub clypeo?
 Effugere haud ulli mortem conceditur, etsi
 A superis ortum duceret ipse suum.
 Sæpe quis à bello, telisq; reuersus, & hoste,
 Repperit in proprijs ædibus exitium:
 Nec tamen hic gratus populo est, nec amabilis ulli:
 Illum autem deflet cum iuniore senex.
 Quippe sui desiderium post fata relinquit
 Fortis, at in uita est semudeo similis:
 Conspicitur siquidem ueluti fortissima turris:
 Nam quæ multi agerent, omnia solus agit.

Eiusdem.

Alcidae sed enim genus insuperabile, forti
 Este animo: nondum flexa Iouis facies.
 Vos ne turba uirum, densus ne terreat hostis:
 Omnis in aduersos obuia tela gerat.
 Inuisamq; adeo statuens abrumpere uitam,
 Præcipiti cursu malit obire semel.
 Nostis enim quam sint horrentia prælia Martis,
 Nostis & armigeræ quanta sit ira deæ.
 Terga cecidistis partim, partimq; fugati
 Estis, & experti scitis utrunq; satis:
 Qui perstant simul, & primi certamina tentant,
 Audentes animo cominus arma sequi,
 Perpauci moriuntur, & à tergo agmina seruant:
 Ast hominis timidi gloria tota perit.
 Vix mala quis uerbis perstringere singula possit,
 Quæ uir, qui in bello turpia gessit, habet.

Nempe

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

BASILEAE EX OFFICINA
OPORINIANA, ANNO SALV-
tis humane M. D. LXIX. Mense
Ianuario.